

*ationum
spec.*

Q. D. B. V.

DISSE^RTAT^IO THEOLOGICA

DE

R A P T U

HENOCHI ET ELIÆ

IN CŒLUM

28, *Gen. 5, 24*

CONTRA

ANONYMUM ANGLUM,

Quam

P R Ä S I D E

CHRISTOPH. MATTHÆO

PF AFFIO,

SS. Theol. Doct. & Prof. Primario, Acad.
Tubing. Cancellario, Ecclesiæ Præposito,
Abbate Laureacensi
ad d. III. Mart. A. MDCCXXXIX. ab.
defendet

M. CHRISTOPHORUS DANIEL FISCHLIN,
Stuttgardianus.

T U B I N G Æ

imprimebant GEORGII FRIDERICI PFЛИCKE
& JOH. DAVIDES BAUHOFF.

49



Onstri quid alit præsens , quod eruditii agimus,
seculum. Sordent vetera omnia , nec arridet,
nisi quod novum est , & miserrima quævis lu-
xuriantium ingeniorum inventa solo novitatis
titulo placent. Tolerari hæc tantisper possent,
nisi in ipsam religionem grassaretur gens ista
novaturiens. Sed nec huic illa parcit, ibi ma-
xime , ubi nimia dicendi , quæ sentias, libertas vigeret. Documen-
tum esto nobis Anglia. Tot Deistas & incredulos peperit novatu-
riendi , quod heic ingenia vastat , studium , ut libellorum incre-
dilitatem promoventium & defendantium nullus sit modus nec fi-
nis. Non est nostrarum partium , in rem præsentem heic ire atque
indicem eorundem historiamque dare. Unum saltem specimen
dissertatione academicâ excutere constituimus. Et primum qui-
dem cogitaveramus illos refutare , qui ex incredulis Mosen nuper
scripsere faciem , ut splenderet , nescio qua tinctura Phosphoro lu-
cem fundenti simili illevisse , cum de monte descenderet. Secun-
do loco in mentem nobis venerat , illos refellere , qui haud ita
pridem commenti sunt, cohortem Koræ, Datanis & Abirami, curan-
te Mose , cuniculis in terrâ , cui insistebant, factis & pulvere pyro
immisso & accenso perruptis , periisse. Sed manum de tabula ab-
straxit mox miserrimorum commentorum absurditas. Placet ergo
jam refutare dissertationem Angli , qui novissimè contendit, nec Eno-
chum nec Eliam in cœlum cum corpore raptos suo , sed illum qui-
dem placidam obiisse mortem , hunc vero fulmine tactum obiisse,
ita tamen , ut utriusque anima beatorum in sedes migraverit. *
Examinemus, agendum , viri argumenta. Reprehendit is primum
incautos Homiletas , qui ex Enoch & Elia heic forment Christi
typos & temere ajant, illos in ccelos ascendisse , cum tamen Hebr.

A 2

XI.

* Vide Biblioth. Britannique T. XI. P. I. art. 8, p. 181.

XI. 27. exstet, omnibus hominibus mortem impositam, itemque Rom. V. 12. Mortem ad omnes transisse. Sed hæc quidem momentum secum haud ferunt. Si enim exceptionem à regulâ faciat scriptura sanctior, contra exceptionem haud valuerit regula aliâ posita. Quis dubitet, excipiendo斯 hic esse, quos dies apprehenderit extremus vivos? 1. Cor. XV. 51. 52. 1. Thess. IV. 15. seqq. Mox ad rem ipsam accedit anonymous aitque, de Enoch quæ habeantur in sacris, non innuere istius in cœlos raptum. Dici Gen. V. 24. Enochum ambulavisse cum Deo, nec fuisse amplius, quia Deus illum sumserit. Jam vero neutrum inferre in cœlos raptum, cum utrumque mortem innuat, innuere saltem possit. Ita de Josepho dici Gen. XLII. 13. וְאַתָּה אֱנֹנוֹ וְעַמְלֵךְ שׁוֹר וְעַמְלֵךְ שׁוֹר וְעַמְלֵךְ שׁוֹר unus non amplius existit. Ita Rahelem plorare liberos, יְהִי קָדוֹם non existent amplius Jer. XXXI. 15. Matth. II. 18. Ita de Patribus dici, quod peccaverint nec existant amplius תְּמִימָה Thren. V. 7. Ita Davidem precari à Domino refrigerium, priusquam abeat nec amplius existat גַּמְלָא. Ps. XXXIX. 14. Ne per somnium quidem heic cogitare Interpretes de raptu corporum in cœlos. Sed nec verbum נָפָל indigitare illum. Hoc quippe designari mortem 1. Reg. XIX. 4. Ez. XXIV. 16. Jon. IV. 3. Peccare itaque Mommam*, qui ajat, hac voce semper innui translationem in cœlum, uti 2. Reg. II. 9. Jes. LIII. 8. Ps. XLIX. 16. Scilicet, quod primum spectet locum, dicendum, nec Eliam in cœlum raptum fuisse, id quod deinceps probandum fit. In secundo vocem hanc nonnisi liberationem denotare. In tertio de animâ saltem à Deo sumenda sermonem esse. Nec esse, quod excipiatur, non dici de Enoch, quemadmodum de reliquis Patriarchis, quod fuerit mortuus, sed distingui ab his illum, quod ceteris morientibus Deus ipsum sumserit, nec inventus fuerit amplius inter mortales. Causam quippe hujus φεάτων esse hanc. Patriarchas reliquos ante diluvium vixisse 800. vel 900. annos, Enochum saltem 365. Hinc dici, sublatum illum à Deo, morte scilicet præmatura, ne affligeretur amplius hominum malitia, monitis piis proterve resistentium. Mortem enim præmaturam subinde pietatis esse documentum. 1. Reg. XIV. 13. Sap. IV. 7. seqq. Nec esse in verbis

tau6-

* de triplici oœcon. Eccl. T. I. c. 5. §. 10.

ταυτογίαν, quæ altera sit aliter sentientium objectio. Neque enim voce οὐχ designari mortem, sed, Enochum Prophetam non apparuisse amplius in cœtibus publicis, in quies Propheta prædicaverit. Ast nec Ebr. XI. 5. inferre, haud mortuum esse Enochum. Transpositum fuisse quoad animam Enochum haud negari. Sed de translatione corporis quæstionem esse. Nec minus videre mortem idem esse ac non mori. Christum quippe promittere suis, quod mortem visuri non sint Joh. VIII. 51. 52. h. e. ipsius amaritudinem & penalitatem vel mortem æternam, non sane corporalem. Nec, quod addatur: non inveniebatur, quicquam contra mortem Enochii inferre, quæ saltem non innuat scripta. Esse enim codices, qui ferant: καὶ ἐξ ἑγένεσεν sc. mors ipsius relata in sacris. Esse hanc Procopii Gazæ ad Gen. V. 24. & Ambrosii sententiam, quemadmodum & de Melchisedecho referatur, quod fuerit sine patre & matre, ἀλεκόντως. Ebr. VII. 3. Jam &, si de ipso Enoch dicitur, eum non inventum esse amplius, hoc ipso tamen non insinuari, illum non esse mortuum. Corpus enim Mosis non inventum fuisse, licet mortuus fuerit. Deut. XXXIV. 5. 6. Denique falsum & hoc esse, Commentatores & Judeos & Christianos consentire contra mortem Enochii. In vanum allegari Targum Onkelosi, Jonathanis, Hierosolymitanum, Bereschit rabba, Zoharem, librum Enochii, Josephum. Onkelosi textum esse depravatum, testari enim R. Menasse ben Ifraël *, esse codicem MS. ubi non habeatur: "נָתַן יְהוָה אֶל non mori fecit eum Dominus, sed particula negativa אֶל omissa sit. Jonathanem in Targum itidem dicere saltem, quod Enochus fuerit subtractus in aërem, nec determinare, num mors ipsius præcesserit nec ne? Ita nec Targum Hierosolymitanum, dum affirmet, Enochum fuisset subtractum, mortem Enochii negare, cum subtractione ista & per mortem fieri potuerit. In Bereschit rabba dici, Enochum defuisse existere in hoc mundo, id quod & de mortuis dici possit. Zoharem & Librum Enochii unanimem Commentatorum consensum non efficere nulliusque esse auctoritatis. Jam & Josephum dicere saltem, quod mors Enochii scripta non exstet, non negare Enochii mortem. Porro Ecclesiasticum

* de fragilitate humana Sect. 12. art. 7.

XLIV. 16. ponere Enochum non in cœlis, sed in Paradiso terrestri, ita & Jalkut Simeonis & Kimchium & Menassem ben Israël, & ex Patribus Irenæum, Justinum M. Procopium & Elmacinum. Denique mortuum esse Enochum statui ab Ambrosio, qui huc trahat Sap. IV. 7. seqq. Abenesra, R. Chiskuni, Menasse ben Israël, qui & alios in Berechit rabba citatos, & Jarchium & Abarbanel & Tosaphtam hanc in sententiam alleget. Hæc novaturiens Anglus. Brevitur cuncta dissipabimus. Et primò quidem verum esto, *וְיָנִין וְתַדְרֵבֶן* non absolute designare raptum corporis in cœlum. Sed vero heic designat, quemadmodum 2. Reg. II. 3. seqq. idemque est ac *ἀναλημβάνειν* & *ποταμηθάνειν* Marc.XVI. 19. Act. I. 9. Perpetram carpitur Momma, quod statuerit, verbum *תָּדְרֵבֶן* semper significare assumptionem in cœlum. Assumptionem quidem dicit ille, sed non addit qualē, mortui an vivi, vel vivificati. Scilicet *תָּדְרֵבֶן* & mortem designat, nemine negante. Rationes, queis conficitur, φέρεται Mosis designari raptum Enochii in cœlos, male præoccupat anonymous. Prima est, præcipuum quid heic innuere Mosen voluisse, qui, cum de reliquis Patriarchis scripserit *וְיָנִין וְמוֹתָעֵשׂ*, stylo mutato heic de Enocho: *non amplius illum adparuisse inter homines, quia sumserit eum Dominus, cum quo ambulaverit.* Frigidum est & ridiculum dicere, præmaturam his mortem indigitari. Aliis ad hanc designandam verbis opus erat. Neque enim vel *וְיָנִין* vel *תָּדְרֵבֶן* præmaturi quid præcisè involvunt. Num itaque præmatura morte sublatum cum Rabbinis dixerimus Enochum, ne malitia corrumperet ætatem? Ast planè contrarium innuit Moses, aitque, sumtum illum esse ex terris, quod ambulasset cum Deo, adeoque ob summam, qua floruerit, vita sanctitatem. Frigidum & hoc est, eapropter morte sublatum Enochum Prophetam, ne vexaretur amplius ab impio seculo, prædicationes ipsius irridente. In omnia alia, uti jam vidimus, Moses abit, longeque aliam allegat assumptionis rationem. Nec Ahia, Jeroboami filiolus, eapropter præmatura obiit morte, quod bonum quid in eo invenerat Dominus, sed ut punirentur morte ejus parentes, ipse vero sepulcro solus illatus est regio, ob istam, quam textus refert, rationem. Præmatura enim mors in sacris non reputatur beneficii sed poenæ loco Ps. LV. 24. LXXXIX. 46. Ch. 25. Prov. X. 27. Job. XXI.

XXI. 21. Prolongatio vita piorum beneficium est. Exod. XX. 12. et si & justi aliquando morte abripiantur, ne futuras attingant calamitates. Jef. LVII. 1. 2. Secunda, quam Interpretes urgent, ratio contra mortem Enochii, haec est: Tavtologiam hanc fore, si Moses voce נָא ו verbo נְבָא mortem designaret Enochii. Heic Anonymus, qui primum posuerat, vocem נָא insinuare in sacris mortem, vertit vela atque, significari, quod Enochus in cœtibus publicis non apparuerit amplius. Non licet, ita arbitramur, pro lubitu interpolare textum sacrum vel addere, qua hypothesi adhuc probande faveant. Nos dixerimus, innui hac voce, non amplius inter mortales apparuisse Enochum, quia eum assumserit Dominus. Naturalis hic verborum est sensus, ταῦτα οὐλαγεῖν eliminans, quem & sequitur Ebr. XI. 5, ubi ἡθος vertitur per μελάθεον, diciturque, μελάθεον Enochii ita fuisse comparatam, ut mortem sane non viderit. Quid enim hoc extraordinarii, mortem æternam vel poenitatem haud gustare mortis, à quâ omnes pii, omnes Patriarchæ pii, qui ante & post Enochum vixerint, erant immunes. Id prædicatur heic de Enochio, quod ipsi proprium & peculiare est. Præcipua haec est in Genealogia Patriarcharum Enochii distinctio, singulare, quod ipsi contigit beneficium, Deo enim præ reliquis placuerat vir per totam vitam in ipsius præsentia ambulans in fide. Unde, quia assumserat ipsum Deus, non inveniebatur, non exstatbat amplius inter homines Enochus. Frigidè & heic anonymous, mortem illius scriptam non inveniri saltem. Atqui putaram, illam voce נְבָא innui. Sic propria vineta cædit incautus auctor. Miserrum & hoc est, sollicitare heic lectionem indubiam ἐγίνοντο. Liceat ergo eligere ex variantibus falsam, quam unicus saltem servat ex Stephanicis codex, ut hypothesi inservias? Porro, sit ita, Melchisedecum dici ἀπόλεια, ἀπόλεια, ἀπόλεια, quia ipsius Pater, mater, genealogia in sacris scripta haud inveniatur, quid hoc ad Enochum, de quo exstat נָא & non iste? Itane ergo Enochus non exstat scriptus? De morte hoc non dicitur, sed de Enochio. Tuffim ciet tam frivola interpretatio. Sed ita nos qui- Enochio. Tuffim ciet tam frivola interpretatio. Sed ita nos qui-

nec

* Vide diff. de restâ Theologiae parabolicae & allegoricae conformatione p. 31.

nec eadem sedet, quæ Hulsius opinio, Enochum eundem fuisse cum Melchisedeco *, ab Otreinio ** refutata. Procopius nobis ad manus non est. Ast apud Heideggerum *** habentur hæc illius verba: *Enoch ingressus est in paradisum, unde Adam fertur expulsus*, & apud Pfeifferum in dub. vex. ad Gen. V. 24. *Elsi Enoch & Elias more hominum non legantur defuncti, attamen divina quādam ratione, nobis inexplorata mortalitatem exuerunt.* Hæc pro morte Enochi naturali non militant. Multò minus, quæ scriptit Ambrosius. Ita enim ille L. 4. c. 1. de fide: *Translatus Henoch, raptus Elias, ambo cum corpore.* Et in apologia Davidis: *Enoch raptus est ad cælum.* Et serm. 7. in Ps. CXVIII. *Enoch propter devotionem raptus in cælum.* Et ad Luc. XVI. *Mors cessavit in Enoch & non est inventa in eo.* Testor fidem tuam, anonyme Angle! Jam & ex eo, quod non inventus fuerit amplius Enochus, non arguimus solo, non esse mortuum. Unde exemplum Mosis sine ratione allegatur. Nec est, quod extorqueatur nobis Onkelosi Targum, caufando, antiquos codices habuisse "מִתְּמִימָה מוֹרֵף עַמְּדָה עֲמָלֵךְ" mori fecit eum Deus. Falsum est, R. Menassen ben Israël l. c. scribere, antiquos codices particulam negativam omittere. Unicus est, quem allegat, ita tamen, ut addat, alios affirmare Rabbinos, optimos esse codices, qui negent, mortuum esse Henochum ****. Nec vel Jonathanis Targum vel Hierosolymitanum male pro sententia allegatur communi. Non licet, contra expressa verba inferre mortem reductionemque in vitam ante subtractionem è terris in cælum factam, in quod pervenire utique non potuit Enochus, nisi prius רְקִיעַ permeasse. Quid enim quofo in aëre faciendum erat Henocho, loco minus habitabili? Jam verò expressè ponit Jonathan, ita subtractum incolis terræ fuisse Enochum, ut adscenderit in cælum per verbum Dei coram Deo nomenque ejus vocatum fuerit Metatron. Tantum abest, ut Targum Hierosolymitanum, quod cum Jonathane consentit, ajat, subtractum fuisse Enochum à facie Dei, vel, uti putat, anonymous à loco cœtum publicorum, in quo habitaverit Schechina. Non enim dicitur

* Ita Hulsius in Melchisedeco una cum parente ex tenebris emergente.

** in Melchisedech non Henocho.

*** in hist. Patr. Ex. 9. de raptu Henochi. §. 8. p. 259.

**** Vide Pfeifferi diss. de Hencho C. 3. §. 1.

citur “מִקְרָב sed “מִרְאַת”. Ita nec Bereschit Rabba favere nostræ sententiaæ existimat idem , quia hoc saltem insinuet , Enochum de-sisse existere in hoc mundo , cum omnes , qui moriantur , in eodem esse definit . Ast & in eodem libro referri videoas , qui ajant , non in-veniri in textu mortem Enochii . Testimonium Soharis anonymous haud vexat , saltem antiquitatem negat libri , qui ex fabulo Enochii libro hauserit , Enochum raptum fuisse in paradisum . Non efficere verò hoc ait consensum unanimem interpretum contra Enochii mor-tem , maximè cum Josephus simpliciter ajat , illam haud relatam esse à Mose , id quod falsum , præmittit enim : ἀνεχόγητο πρὸς τὸ Θεῖον , migravit ad Deum , non ut alii Patriarchæ , cùm vita functi fuissent . Ubi verò adjicit anonymous , antiquos tum Judæos tum Christianos Doctores permulitos Enochum non in cœlum , sed in Paradi-sum terrestrem translatum fuisse asserere , malè primum allegat Ec-clesiast . XLIV . 16 . ubi nil hanc in rem in Græcā origine , sed in falsa vulgatâ Latinâ exstat , quæ ne quidem Paradisum nominat terrestrem . Quid enim , si cœlestem intellexeris heic significa-tum ? Verum est , in terrestrem quòd abierit , Judæos paßim* sta-tuere , quæ & sententia fuit Kimchii & Menasse ben Israël & Pa-trum , Irenæi , Justini M. Procopii , Elmacini , quorum loca dedit Heideggerus .** Perspicere hinc est , quanta fides danda sit vete-rum traditionibus . Sed verò , dum pergit anonymous aitque , Am-brosium statuisse mortem Enochii ex Sap . IV . 7 . lqq . misere fallitur . Etsi enim subinde ajat , raptum fuisse in cœlos , ne malitia ejus cor mutaret , non tamen ait , mortuum fuisse , ut supra vidimus . Abenesram , Chiskuni , Jarchium , Sal. ben Melech , Abarbanelem non moramur . Allegari hanc in rem poterat & Arabica versio . E Christianis allegari poterat Hieron. ab Oleastro , qui dubitate coepit de translatione Henochi vivi , Steuchus Eugubinus , Fr. Va-tableus , Marcus Marinus , Brightmannus , queis & addunt Calvi-num , quem tamen excusat Rivetus , Drusius , qui verò & ipse hinc titubat *** , maximè verò Oecolampadius , qui positivè mor-tem

B

tem

* Colleget hæc testimonia Eisenmengerus im entdeckten Judenthum P. 16
p. 805 , lqq . P. 2 . 397 . lqq . ** l.c. § . 8 .

*** tum ad Gen . IV . 24 . tum in Henocho C . 10 . lqq . vel tandem affirmans , Enochum transmutatum fuisse , quæ mutatio sit morti ἀνάλογο . Vide Criticorum sacrorum T . 6 . f . 2040 .

tem celebrat Henochi *. Sed hæc quidem Virtùm nomina tanta non sunt, ut tot Interpretum veterum recentiorūmque consensum infringant. Eliæ raptum in cœlos ita refellit anonymous. Ait, verbum נָבָת non significare saltem *ascendere* sed & *sacrificare* Jud. XI. 31. *accendere* Ex. XXV. 37. rem vel personam aliunde *extra-bere* Ex. XXXII. 1. Ezech. XXIX. 4. Habac. I. 15. *ausserre* per mortem Pl. CII. 25. Posse itaque dici, Eliam consumptum fuisse tanquam sacrificium in tempestate, h. e. fulmine tactum periisse. Neque enim dici, currum & equos igneos abstulisse Eliam, sed separasse saltem ab Elisâ, ablatum enim eundem fuisse per tempestatem. Filios quoque Prophetarum non credidisse, illum in cœlum ascendisse, sed existimâsse, projectum fuisse vento magno in montem vel vallem quandam v. 16. Ipsum quoque Elisam, vestie scissâ, afflictionis suæ dedisse documentum, quod non daturus fuisse, si credidisset, Eliam in cœlos ablatum, quæ potius fuisse latandi materies, nec filiis quoque Prophetarum quicquam dixisse de raptu Magistri in cœlos, sine ullo dicturus dubio, si tanti momenti contigisset miraculum. Sacras literas nullibi raptum Eliæ in cœlos memorare aliás. Nec raptum hunc insinuare Ecclesiasticum XLVIII. 9. sqq. Dicere enim, quod fuerit *tectus turbine*. Fabulas Judæorum, credentium, Eliam venturum ante adventum Messiæ, assistere circumcisionibus, explicaturum difficultia legis, non mereri attentionem. Patres credidisse, Eliam in tempestate periisse, animamque illius saltem in cœlos raptam, Cyprianum cum aliis scribere: *Quo raptus fuerit, Deus novit*, rursus alios eum ponere in Paradiſo terrestri cum Enocio. Nec apparitionem Eliæ in monte supponere ejus in cœlos ascensum, cum & Moses tum apparuerit, qui tamen sit mortuus. Magnam esse differentiam inter ablationem Eliæ & ascensum Christi in cœlos. Hunc ascendisse in cœlos, præsentibus & videntibus discipulis, tempestate serena, Angelis confirmantibus, Eliæ ablationem visam à solo Elisâ, in tempestate, fulgure visus aciem impediente & currus equorumque imaginem in phantasiam trepidi Elisâ formante, nullis Angelis firmantibus, Eliam ascendisse in cœlos. Tam infirma hæc sunt omnia, ut facile quidem possint discuti. Si fulmine tactus periisset Elias, sine dubio pagina narraret sanctior, illum imperfectum esse

* Vide Pfeifferi diff. de Henocho C. 3. §. 2.

esse à Domino eodem emissō cœlitus. 2. Reg. I. 10. 12. Nec habetur in origine vox נָעַל sed נָעַל ascendit. Currus & equi ignei, qui Eliam ab Elīsā separaverant, Angeli erant 2. Reg. VI. 17. coll. Gen. XXXII. 1.2. Pf. XXXIV. 8. Hebr. I. 14.* Eliam comitantes, ascendentem in tempestate. Error vel ignorantia, in quā verfabantur Prophetarum filii, nil officere potest veritati facti, quam nec jugulat Elīsā lamentatio, inde oriunda, quod amitteret Magistrum tam charum & dilectum sibi, licet ad cœlites euntem. Nullumque est dubium, Eliam & filiis Prophetarum miraculum hoc mox clarius nunciasse, licet id in sacris haud exstet. Ficulneum est porro, falsitatis accusare ἄποικος λεγόμενον. Judæorum fabulas de Elīsā non moramur, nec Patrum traditiones, à Romanensibus adoptatas, in Paradisum terrestrem translatum Eliam ferentes, in quo delitescat, donec cum Enoch rediturus aliquando sit, duosque hos esse duos illos testes Apoc. XI. memoratos. Vaftatus diluvio Paradisus est, qui itaque Elias in Paradiso potuit, vel adhuc potest delitescere? Somnia hæc sunt, quæ alia refutari solent & refutantur à nostris. Cypriani verba ista nullibi in libris ejusdem inventio. Nec novi Patres, qui scripserint, illum fulmine tactum perisse. Allegare loca anonymous debebat. Ex apparitione Elīsā in monte illius vivi in cœlos ascensum nemo arguit. Sit denique differentia inter ascensum Elīsā & Christi quoad circumstantias facti, hoc propria, divina illo virtute ascendentibus, hoc post resurrectionem, illo minus mortuo. Quid tum? Erine ergo ascensus Elīsā fabulosus? vel estne fas, dicere, Elīsam nescivisse in statu terroris, quo fuerit actus, quid viserit? Graflantur hæc dilectionia non in Prophetam saltem sed & in ipsas sanctiores litteras. Quidni uno iēti dixerit Deista, totam hanc narrationem fabulam olere? Sub finem dissertationis adjicit ille argumenta generalia contra ascensum Enochii & Elīsā vivorum in cœlos. Ait 1. feliciores Christo, qui mortuus fuerit, sic prædicandos Enochum & Eliam. Respondemus: Atqui vero & Christus plus sustinuit passionum ac omnes homines. Sustinuit ille reatum & pœnam peccatorum totius humani generis. Ait 2. regulam moriendi esse generalissimam.

B 2

neralissimam

* Aut fuerint illi meteorum vel phænomenon per miraculum efformatum, quo usi fuerint Angeli ad transportandum in cœlis Eliam Luc. XVI. 22. Ita Buxtorfius in disput. de raptu Elīsā C. 2. qu. 2. §. 2.


neralissimam, sine ullâ, quam pagina sanctior efferat, exceptio-
ne. Hanc objectionem supra jam retudimus. Ait 3. Joh. III. 13.
exstare, neminem ascendisse in cœlum, nisi qui de cœlo descen-
derit. Respondeo, solum utique Christum ascendisse in cœlum
propriâ virtute & resuscitatum post mortem. Nemo hoc de He-
nocho vel Eliâ adfirmaverit. Vide diff. nostram de Christo in cœ-
lis & in terrâ simul præfente p. 1. Ait 4. non dari rationem suffi-
cientem ascensus Enochii & Eliae. Si enim hæc sit confirmatio do-
ctrinæ, quam prædicaverint, & vite æternæ demonstratio, debi-
busse hos ascensu fieri, præsentibus aliis. Atqui verò præsente
Elisâ, Elias in cœlum raptus fuit, sufficique etiam sine præsentiâ
hominum testimonium divinum. Ratio hæc solitaria non est. Si
porro ratio hæc sit, ut ascensus hic tanquam typus repræsentet
ascensionem Christi, non singendum sed & scripturis sacris *ναὶ πλέον*
probandum esse typum, qui nec statui hîc possit, cum Chri-
stus præcedente morte & resurrectione ascenderit, id quod de
Enocho & Elia non prædicetur. Duplex hæc anonymi hallucina-
tio est. Una, quâ putat, nullos dari typos nisi *ναὶ πλέον* in sacris
paginis memoratos, ad quorum *ἀναστολὴν* formandi & statuendi
sint alii nulli. Contrarium in diff. de rectâ Theologiae typicæ con-
formatione ediximus. Altera, typum & antitypum quoad omnes
circumstantias correspondere debere. Nescit Theologiae typicæ
rationes anonymous. Si tertio loco quis dixerit, eapropter in
cœlos raptos Enochum & Eliam, ut constet, quantis præmiis
pietatem hominum ornet Deus, objici posse, atqui alios adhuc
dari pietate pares, qui mortui sint. Quasi verò Deus pro arbitrio
suo haud dispensare possit gratiæ suæ multiplicis munera.
Jam verò mysterium hujus translationis egregiè enarrârunt Jo. Hi-
spanus *, Heideggerus **, Burmannus ***, Outreinius ****,
Saurinus *****. Concludit anonymous, ascensum Henochi &
Eliæ non nisi sacris paginis sed traditione de eorundem raptu in
paradisum terrestrem & redditu in has terras, ut duo testes pugnent
contra Anti-Christum. Ast, cum supra traditionem tam ineptam
rejecerimus, ajamusque, raptos illos non in Paradisum sed in
cœlum fuisse, mira hæc est conjecturæ anonymi absurditas, in
quâ refellendâ subsistimus.

* apud Outreinium loco mox citando. ** l.c. §. 13. *** ad Gen. V. 24.
**** ad Hebr. XI. 5. ***** disc. VI. sur l'enlèvement d'Enoc p. 72-73.


30.12.99

ULB Halle
003 006 867

3



SB



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



98
28
Gen. 5, 24

Q. D. B. V.
*DISSE*R*TATI*O THEOLOGICA
DE
R A P T U
HENOCHI ET ELIAE
IN CŒLUM
CONTRA
ANONYMUM ANGLUM,
Quam
P RÆS I D E
CHRISTOPH. MATTHÆO
P F A F F I O,
SS. Theol. Doct. & Prof. Primario, Acad.
Tubing. Cancellario, Ecclesiæ Praeposito,
Abbate Laureacensi
ad d. III. Mart. A. MDCCXXXIX. ab.
defendet
M. CHRISTOPHORUS DANIEL FISCHLIN,
Stuttgardianus.

49

T U B I N G Æ
imprimebant GEORGII FRIDERICI PFlicKE
& JOH. DAVIDES BAUHOFF.